altum continebat. Hoc ergo dico vobis ipsis et mihi. neque enim adhoc
predico, ut quasi me securum faciam occasio istius versiculi compulit
me dicere ista. grande malum est lingua. Domine libera animam meam
a labiis iniquis et a lingua dolosa. non adulterius lingua. sed mea me
lingua libera mihi. non nocet lingua alterius. mea me lingua inimica est.
Domine libera animam meam. Animam meam libera a lingua mea. gladius est
interficit animam meam. Puto quod inimico meo noceam. et nescio quod
me ipsum occido. Pugnent adversarii quando loquor illis. et ego pa
cifica loquar illis. habeant inimicale animum. nos vero habeamus
pacificum animum. siquidem scriptum est in paralypomenon. Et
egressi inquit sunt filii israel ad pugnandum mente pacifica. Audis
vadit ad pugnandum. et mentem pacificam habet. sed christianorum arma pax
est. Pax christi que superat omnem sensum. Beati pacifici. non solum qui
pacem faciunt inter rixantes. sed qui in semetipsis pacem faciunt. Bea
ti pacifici. Si alii rixam faciunt. et ego medius intercedam et faciam
inter eos pacem. et ipse non habebam pacem in mente mea. quid mihi prodest quod
illi pacem fecerunt. beati pacifici. qui loquuntur quidem his qui ode
runt pacem pacifica. beati pacifici. christe pax est. Si enim salomon
interpretatur pacificus. ergo christus deus noster pax est. Vadens ad celum
pacis nobis auxilium dimisit dicens. pacem meam do vobis. pacem
relinquo vobis. Conservemus quod christus donavit habeamus pacem
in omnibus et ideo sine dubio credamus fratres karissimi. quod nullus homo
sibi soli moritur. sed sicut frequentius suggessi. quantoscumque
aliquis exemplum sancte vite edificaverit. cum tantis et pro tantis
mercedem beate retributionis accipiet. et quantiscumque exem
plum male consummationis etiam si illi non sequantur prebuerit.
pro tantis se malam retributionem noverit redditurum. Conserve
mus in omnibus patientiam. **Sermo eiusdem de persecutionibus**

Fratres. Frequenter diximus. semper enim christiani persecutionem
patiuntur. Mundus iste in maligno positus est. Adversarius
noster diabolus regnat in mundo et nos putamus quod non patiamur
persecutionem. que enim res non persequitur christianum miramur. si nos perse
quuntur alii. si christo voluerimus servire qui est vita omnium et

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_295/0153